



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, sed itaq; super singulos eorū, ac repleti sunt oēs spū sancto, ceperuntq; loqui alijs linguis, prout spiritus ille dabat eloqui illis &c.

Lege totū librū Actorū apostolicorū & apostolorum scripta, & cognosces quæ operati sunt discipuli, induiti uirtute ex alto, quæ omnia his paucis Marcus comprehendit.

Illi uero egressi prædicauerunt ubiq; domino cooperante & sermonem confirmante per subsequētia signa.

CHRISTVS VIVIT REX.

LECTORI.



PAUCIS huius meæ, quod ad historiam glorificati Christi attinet, concordantia te reddo certiore, In qua non Augustinū aut alium quemquā secutus sum, licet quædā annotarint, sed ipsos sacros historię sacrę scriptores, & non parum uideor eorum sustentasse fragilitatem, qui suspicantur Euangelistas sibi diuersa scripsisse, ita ut etiam olim (quemadmodum ait Hieronymus) quidam non ceperint Marci caput ultimum, quasi cæteris Euangelistis diuersum, quod tamen non est. Sic ergo habe.

43
Tēpus primæ uisitacionis sepulchri, quando uenerunt mulieres, oēs Euangelistæ concorditer scribunt.

Deinde uariæ scribuntur illarum uisiones, sed duabus historijs tantum comprehenduntur. Alteram scribunt Lucas & Ioannes, alterā Matthæus & Marcus.

Sed quæ illam facio priorem, hanc posteriorem, Marcus cogit, dicēs. Primū apparuit Mariæ Magdalene.

Ecce paucis concordauit quod falso uidebatur diuersum, Ita nihil offenderis neque in uarijs angelorum uisionibus neque in alijs gestis, quæ alioqui apparebant non conuenire, dum tamen angelum aspectu horrendum, qui sedebat super lapidem, solis militibus apparuisse in Matthæo intelligas, & postea angelum, qui secundum Matthæum loquitur mulieribus, apparuisse quemadmodum Marcus describit.

Sed cur iterum Maria Magdalene uadit, quæ iam uiderat dominum resuscitatum? Respondeo. Cum alijs uadit & dux est earum, & sepe uidere cupit quem uiderat, aut saltem sepulchrum uidere cupit, quod obiter quasi dixit Matthæus. Vnde nō tam ipsa, quàm sociæ adhuc dubitantes de eo quod forte reuelarat eis Magdalene, audiūt, Nō est hic Venite & uidete &c.

Itaque non erit necesse plures suspicari Marias Magdalenas in Euangelistis. Est autē hæc Maria Magdalene Galilea. Maria uero soror Lazari nūquā in Euangelicis literis inuocatur aperte Magdalene uocitata, quæ etiā nō Galilea sed Iudæa est.

Apostolis uero cōgregatis, sed tamen absente Tho

ma apparuit in uespera eiusdem diei. Secundo præsen-
te Thoma octauo à resurrectione die. Tertio paucis-
simis post hebdomadā paschæ (ut nūc uocamus) ad ma-
re Tiberiadis, unde Ioannes ait, Hac iā tertia uice &c.

Qui ordo ab Ioanne descriptus, manifeste cogit, ut
post hæc omnia intelligam factū esse quod Matthæus
de mōte Galilææ scribit, ubi credo ad fuisse plus quā
quingētos fratres, de quibus Paulus scribit. Quis enim
discipulorū illic nō cupijt adesse, ubi suū Christū au-
dierat appariturū, rumore inter eos peruagante ex
relatione angelorū, mulierū, Christi, discipulorū, &
ex recordatione uerborū quæ Christus prædixerat?
maxime cū etiā certū montē illis constituerit, ut Mat-
thæus scribit, credo etiā certū diē. Suspicio autē montē
Thabor fuisse, in quo antea (ut aiūt) specimē suæ resur-
rectionis in transfiguratiōe illa dederat. Nō uoluit tā
multis apparere, anteq̄ ad multos fama patratæ resur-
rectionis peruenisset. Et Matthæus quoq; subindicat
alios ad fuisse q̄ apostolos, dicēs, Quidam autē dubita-
uerūt. Quis quæso tūc apostolorū dubitauit, qui ante
q̄ in Galilæam irent Hierosolymis, omnes crediderāt?

Quapropter non recte intelligūt de die ascensiois
quod Marcus scribit. Nouissime siue deinde, Recūben-
tibus illis undecim &c. q; sequatur, Postq̄ locutus est
eis, assumptus est in coelū &c. Nā in uespera diei resur-
rectionis factū est. Et nō attendunt Marcū ab eo loco
scribere non continuā historiam, sed breuiter cōpre-
hendere quid ante ascensionem gesserit dominus aut

dixerit. Nā illa uerba, *Euntes in mundū &c.* apparet ex Matthæo dicta in monte Galilææ, nisi sæpius dicta intelligas. Quod uero sequitur, *Postq̄ locutus est eis, assumptus est in cœlū &c.* non intellige assumptū mox post prædicta uerba, sed post omnia uerba quæ loquebatur à resurrectione per dies quadraginta secundum Lucā in Actis. nisi etiā intelligas discipulos statim à monte Oliueti egressos ad prædicandum ubiq; quia sequitur, *illi autē egressi &c.* id quod uetāt Acta apostolorū. Epitomen ergo scripsit illic Marcus gestorum à Christi resurrectione. Quin & ipse Lucas ita cōtexuit Euangelicā historiā, ut putes, Post diem resurrectionis nocte sequēti Christū ascendisse. Et nisi idem unico uerbo in Actis dixisset, per dies quadraginta, adhuc nesciretur quo die Christus ascendisset, id est, assumptus esset ab oculis discipulorum, alioqui eius resurrectio est quoq; eius ascensio siue glorificatio, quando ei dictum est, *sede à dextris meis, de quo & ipse dicit. Data est mihi oīs potestas in cœlo & in terra. Itaq; nusq̄ magis apparet atq; hic, q̄ multa desunt ex omnibus Christi gestis, quorū oēs Euangelistæ uix epitomen scripserūt, ut etiā Ioānes in fine sui libri fatetur.*

ADVENIAT PATER REGNVM TV-
um, per Iesum Christum filium tuū
dominū nostrum, Amen.

BASILEAE, APVD ADAMVM PE-
tri, Mense Septēbri Anno M. D. XXIIII.